Fechneri Joh. Cattus sive Idyllium

CATTUS,

sive

IDYLLIUM

Honori meritissimo

Perantiquæ, Prænobilis & Generosæ

Familiæ Zedlicio-rum, Neukirchianâ

potissimum domo ortorum,

consecratum

à

M. JOHANNE FECHNERO,

Gymnasii Vratisl. Magdalenæi

RECTORE,

VRATISLAVIÆ,
Typis BAUMANNIANIS,
exprimebat JOHANNES CHRISTOPH. JACOB,
A. C. M DC LXIV.

Præloquium.

TOt inter Ordinis Equestris familias, quæ olim ex Germaniâ in Silesiam nostram, cum illa jam paganicâ superstitione explosâ, Sacramentum Christo dixisset, tralatis commigrarunt laribus, per aliquot secula floruit perantiqua, prænobilis & verè generosa gens Zedliciorum. Hæc traduces generis oppidò fertiles longè latèq; diffundens, universam Patriam locupletissimâ meritorum fruge mactavit. Non enim progenuit diffibulatos Fessoniæ cultores, sed strenuos Martis pullos, quos mens erecta ad illustria bellicæ fortitudinis facinora accinxit. Certè si solos diversorum Ordinum Equites, quos protulit, numeres, confertissimam complebis cohortem: cæteri verò sago clari bellatores facilè integram conficient Legionem. Sed illi, quod in præcipuâ laudis parte ponendum, à civilibus abhorrentes bellis, pro aris & focis fortissimè pugnarunt, & martialium factorum claritudine gloriam Horatiorum Deciorumq;, quos Roma tanto jactitat opere, prorsus æquarunt. Quid jam memorem togatos proceres, & Principum, Regum, Imperatorum Consiliarios, Cancellarios, Cubicularios, Provinciarum Præfectos, Judiciorum regiorum adsessores aliosq; præcipuæ dignationis viros, quos in salutem Reip. & Patriæ communis produxit Zedliciana propago? Non est opus, ut veterum annalium excutiamus memoriam: vel nostro, certè parentum ævo, intrà paucorum annorum spatium ex hac gente lecti sunt, præter Cameræ Regiæ Præsidem, quatuor Silesiæ Ducatuum amplissimorum Capitanei, ita ut tunc vulgò dictum sit, Silesiam ab unâ gubernari familiâ. Hoc factum imperante D. Rudolpho II qui in publico quodam Rescripto A. C. 1589. fidem & Virtutem Zedliciorum commendare

nulllus

nullus dubitavit. Na illi, qui hæc omnia condignâ celebrare Camænâ aggressus fuerit, decurrendum erit per spaciosum illum præconiorum Campum,

Per quem magnus equos Andini flexit alumnus.

Non exilis venæ & avenæ poëtam ista laudum Panegyris efflagiat. Nihilominus tentavi ego laurum Zedlicianam tenui adspergere libamine, quod mihi suffecit Cattus amnis Silesiæ notissimus, cujus undis olim fui innutritus, cujus in ripâ nostra lusitavit pueritia. Ad hoc excitavit me non thyrsus vanæ arrogantiæ, non spes lucelli alicujus, quod importuni dedicatores captare solent; sed pertinax memoria beneficiorum, quibus familiæ laudatæ primicerii parentem meum, M. Martinum Fechnerum, Ecclesiæ in Neukirch ad Cattum quondam pastorem, affatim cumularunt. Hæc ipse gratâ recolens mente, collectanea quædam ex archivis & MStis authenticis, quæ ipsi patroni suppeditaverant, sedulò congesserat, in quibus adnotaverat, quæ de origine, progressu, rebus gestis meritisq; Zedliciorum passim consignata invenerat, eaq; in ordinem digesta editurus fuisset: sed tempestate bellicâ maxima illorum pars rapacidarum militarium manibus fuit distracta, direpta, lacerata. Veruntamen relicta fuerunt lipsana quædam & fragmenta, è quibus, ut & monumentis quibusdam publicis, concinnavi Idyllium pingve, & quod rus manifestò olet: in eo induco Cattum personatum Præconem Zedliciorum, præsertim Neukirchij domo pervetustâ ortorum, imitatus, quantum pote, Lotichium, apud quem Nicer fluvius Palatinos recenset Principes. Ut autem poëmatio per se obscuro aliquam inferrem lucem, adjeci indicem Nominum, sed sine titulorum accessione. Nam veluti quondam satis erat monstrasse Catonem: ita Zedlicios nominasse sufficit, ut quos non parentum prædia, sed merita in patriam posteritati commendant.

AUrea lucigero Matuta fugaverat ortu
Noctem ſolq́; novo ſpargebat lumine terras,
Cum Cattus vitreo liquidum caput extulit amne,
Naïadum genitor Cattus, qui jugis aquæ vim
Cypridos è gremio molli derivat, & almo
Flumine Sudetûm radices lambit opimas.
Nec mora: Fæcundæ ſalicis diffuſus in umbrâ,
Rus Neukirchiacum, Lygiis quod ſummovet agris
Umbo Vulturni celſus, reſpexit amico
Lumine, jamq́; memor fortis famæq́; prioris
Ingemuit: Gemuere ſimul per prata Napææ,
Argutumq́; nemus ſuſpiria traxit, & ipſæ
Conſortem viſæ rupes ſentire dolorem.
Tandem ſollicito depromſit pectore tales
Juſſit & auritas pinus ediſcere Voces:
Nymphæ, lucorum dominæ montisq́; propinqui,
Herciniæ viridi qui claudit limite ſaltum;
Et colles Satyris pariter Cereriq́; benignæ
Grati, qui longo præcingitis ordine tractum
Vicinum & ripas noſtras & prædia ripis
Adſita; vos humili jam-nunc è valle ſaluto
Suſpicioq́; lubens: Nam vos mea gaudia ſoli,
Soli deliciæ, poſtquam me volvere fata
Tot voluêre vices, tot cernere damna meorum.
Heu qualis jam ſum, quantum mutatus ab illo
Catto, lucentes auri qui trivit arenas,
Foſſorum cum turba frequens hoc littus obiret,
Veſtigans ſub rupe cavâ pretioſa bonorum!

Aurea

Aurea tunc ætas venâ mihi divite fluxit,
Tunc vel Pactoli potui certare fluento,
Et superare Tagum. Testis, tu Chrysori, Catto,
Ac vos excisi montes cryptæq; profundæ,
Quæ monstratis adhuc cæci vestigia Pluti.
Hic excussit opes antiqua Silesia Vestæ
E gremio, turpi ditescere nescia lucro.
O quæstus majorum insons! ô pura Cupido!
Tu patriæ contenta bonis non Herculis ultra
Improba cum velis tendebas vota columnas,
Posteritas quod avara facit, quæ currit ad Indos
Extremos, alioq; petit sub sole calentes
Terras, unde domum properante celoce reportet,
Quod luxus populator opum malè dissipet, aurum.
Vah! quid opus peregrè molimine quærere tanto
Divitias? Quid opus Pervano arcessere ab orbe,
Sors offert quod amica domi? Quod quæritis, hîc est,
Hîc est ante pedes. Corylo tentate bifurcâ
Florentes mineras: Acres adhibete bidentes,
Præruptiq; latus montis perfringite, cives:
Grande operæ pretium, Catto spondente, feretis.
Auri vim tantam prægnans hîc condit Oréas,
Quantam in Pannoniis vix est reperire fodinis.
Nil equidem fingo magno promissor hiatu,
Non crepo Persarum montes, non gryphis opimos
Raptoris nidos: Pro me res ipsa loquetur.
Explorate modò. Sed enim quid tundimus aures
Questibus occlusas? Narratur fabula surdis,

Et voces fruſtrà fuſas vaga disſipat aura.
Nemo requirit opes antiquas, æſtimat aurum,
Abſtruſum nemo. Latet asſiduumq; latebit
Gazæ crena potens, & quem traducit inane
Nomen, inops auri dudum mons aureus aret,
Ac pariter fons alget opum. Jam pauper aquarum
Cattus ego & tenuis rivus vix præbeo lymphas
Squamigeræ pecudi: Solas has nempè reliquit
Sors mihi divitias. Humilis jam ſerpo jacentes
Per valles, quondam quo non jactantior amnis
Ibat in occurſum Viadri, cui cedere ſoli
Viſus eram: Tanto me vulgus honore colebat.
Scilicet Aonidum mixtus vocalibus undis,
Quas hîc elicuit mihi Trocendorfius acer
Formator pubis teneræ, nil vile ſtrepebam,
Et latè loca complebam rumore ſecundo
Disſita. Muſarum tunc noſtra frequente choreâ
Littora fervebant, & damna priora levabant
Carmina, quæ ſylvis Echo recitabat opacis.
Heu nihil invitis fas quemquam fidere fatis!
Hæc etiam miſero ſolatia rapta fuerunt
Catto. Ceſſerunt ſterili de rupe Camænæ,
Sedibus in vacuis porrò durare gravatæ.
Stat montis ſine honore jugum venerabile pridem
Elyſiæ populis, ingrata ſilentia ſecum
Rodit inops vallis. Nil his audire licebit
In dumis præter miſerabile carmen Amyntæ
Paſtoris, vacuâ quod iners diſperdit avenâ.
ſtrepera
Ipſe

Ipſe ego, qui caſtos derivo è fonte liquores,
Turbidus ecce ruo, lacrymis torrentibus auctus
Nympharum. Hinc ripas eſcendo ſubinde virentes,
Et ſata per, per & arva feror, ſternoq; labores
Agricolæ tauri, ſortem indignatus iniquam.
Ecquis erit finis tandem, quæ pauſa dolorum,
Quos crebrò cumulat clades mihi clade recenti?
Nam ne quid ſummæ deſit fortaſſe malorum,
Hoc etiam acceſsit nuper, mutare priores
Quod cogor dominos, & in altera cedere jura.
Nunc ubi Zedlicidæ, mea maxima gloria, priſci,
Antiquas quorum ſedes tot ſecula luſtro?
Abſtulit hos etiam mihi ſors, mors abſtulit atra,
Hoc eſt quod tremulæ ploratis jugiter alni,
Quod mihi ferali Vulturnus nomine ſignat,
Infelix augur, qui Venatorius olim
Dicebatur avis, ſtudium quibus acre Dianæ
Curæ erat & ſaltûs indagine cingere gnavâ.
Hæc demum jactura premit: Toleranda fuiſti
Hac-fortuna-tenus: Nunc vindice differor æſtu
Irarum, ac toties patientia læſa furorem
Concipit. Ultrices immittam protinus undas
In campos, diroq; teram pede proxima quævis.
Ah fruſtrà ſævis, fatis obſiſtere fruſtrà
Audes, amnis inops! Non tanges fluctibus aſtra,
Pone iras animosq; truces, preme cornua. Miti
Quid Cereri nocuiſſe juvat? Tua deſtruis ipſe
Dona & relliquias dulces. Periiſſe putemus,

Quod periit: Melior ſpes conſervabit egenos.
Res habeat fortuna ſuas, quas tollere caſus
Adverſi poſſunt: Nobis intacta reliquit
Munera, quæ vicibus non ſunt ſubjecta malignis.
    Reſtat fama vetus, reſtat memorabile nomen,
Catto quod dudum clari peperêre coloni.
Hoc cata Mnemoſyne celſo transſcripſit Olympo,
Ut me fulgentem propter radiatile flumen
Eridani quondam veneretur turba nepotum.
Eximiis magni tollunt ſe laudibus amnes,
Ac meritò tollunt. Reclini Viſtula dorſo
Sarmaticus fruges peregrinas portat in oras,
Mercurio pariter favet Aoniſinq; benignus
Albis cum Viadro molli, nutricibus undis
Dulciferum Bacchi laticem ſuſtentat amœnus
Rhenus, belligeras gentes pater educat Iſter.
His ego tantillus nil cedo grandis honore
Diffuſo meriti, quo macto Sleſida totam.
Heroos aluiſſe viros patriæq; Dynaſtas,
Cætera ſi deſint bona, laus eſt propria Catti.
    Jam Lygios Proceres genus alto à ſangvine Regum
Conſcius exilis mihi venæ, dicere nolo:
Laudent hos alii, majus quos flumen inundat.
Zedlicios ſumam ſaltim memorare vetuſtos,
Zedlicios, quondam loca qui ditione regebant
Proxima, fæcundâ meritorum fruge celebres.
Sed cum non liceat pleno deducere rivo
Tot laudes claræ, tot facta illuſtria gentis,

Paucula

Paucula de multis raptim libabo, vicemq;
Indicis expediens, recitabo nomina tantum,
Et curto sermone sequar vestigia rerum.
Nota jacet regio generosis adsita Francis,
Heroum præclara parens, quam spectat ab Arcto
Tyrigetum nemus, at Bojemis dividit arvis
Herciniæ saltus: Veteres coluere Varisci,
Teutonis acre genus, cui semper prælia cordi.
Illic Zedlicidum memorandus prosator ortus
Nobilibus proavis Titius (a) migravit in oras
Nostras, quæ pago jamtum statuisq; Deorum
Fictilium spretis Christi sacra ritè colebant,
Hîc ubi Neukirchl structum est venerabile templum.
Proxima tunc late-dominus loca Tschirnius heros
Possedit, cui nata fuit florentibus annis,
Quam multi indigenæ, multi ambivêre Poloni,
Sed nulli indigenæ, nulli obtinuere Poloni
Sponsam: Tanta fuit teneræ fiducia formæ.
Zedlicides solus placet acceptissimus hospes:
Hic gener, hic Conjux legitur: Sic fata ferebant.
O quos tunc plausûs audisses compita circum
Edere pellitos pastores, tibia festo
Dum strepitu lætis meditatur carmina Sponsis!
His exultanti respondit Nais ab amne;
O Hymen Hymenæe, Hymen Hymeneæe, frequentans.
Lætitiâ insolitâ tunc ripa fremebat ovantum.
Arvaq; ridebant, quæ floris honore recenti
Chloris adornârat sortis præsaga futuræ.

Singula quid refero, Tellus gaudebat, & aura,
Candidior thalami dedit argumenta feracis.
Ipſa Venus cœlo deſcendit & omine dextro
Fulcra thori tangens genialis; Creſcite, dixit,
Creſcite felices nupti, veſtramq; novenâ
(Sic vobis ſpondet Superum clementia mitis)
Prole replete domum, quam triplex triga ſororum
Pieridum mundo celebrabit laude frequenti.
Dicta fides ſequitur: Partu fœcunda noveno
Ter tres Zedlicio peperiſti, Tſchirnia, natos,
Maſcula fulcra domûs, & honoræ germina gentis.
    Effabor citius quot truttas nutriat amnis
Noſter, quot ſalices lentâ me fronde coronent;
Quam numerare queam ſeriem turmasq; Nepotum
Ingentis Titii: Sic ille propagine fauſtâ
Agros per varios diffudit nobile ſtemma,
Multifidos tendens ramos per Sleſida terram.
Pars valles coluit patrias, pars dis ſita quærens
Æquora camporum, ſedes invenit amicas.
Fertilis ac veluti tradux genetricis ubiq;
Ingenium retinens vitis, turgente racemo
Fruges carpendas cultori præbet alumno:
Sic quoq; Zedlicii proles generoſa tenaci
Virtutis ſtudio proavitæ laudis honores
Extulit & patriam replevit fruge ſalubri.
    Non ſuccreverunt hac ab radice ſtolones
Peſtiferi, non diſcincti luxuq; fluentes,
Nattæ degeneris qui vivunt more, nepotes.

Altè ſuccinctos Decios dedit illa Titosq;,
Quos belli ſtudiis caſtrenſis fibula balthei
Obſtrinxit, promtos charam victricibus armis
Tutari Patriam & regnis præſtare ſalutem.
Non in proclivi eſt longâ deducere virgâ
Tot Martis pullos haſtatorumq; catervas,
Unica quas domus hæc externum armavit in hoſtem.
Parcite tercentum Fabios jactare Quirites,
Ad Cremeram ſtrages quos abſtulit aſpera cæſos,
Plures Zedlicii quondam emiſere ſagatos,
Lethiferis auſos capita objectare periclis,
Ut patriæ incolumes aræq; fociq; vigerent.
Si ſolos equites (b) Regum, Chriſtiq; dicatos
Militiæ numeres, posſis complere cohortem.
Legitimam: reliquo legionem è corpore ſumes.
O verè ſegetem clypeatam ſemine Martis
Enatam! Credas jam fæto dente draconis
Armatas acies, Cadmo mirante, creatas.
Sed non in patriæ, non fratrum viſcera ferrum
Zedlicidum convertit agon Bellonaq; pugnax.
In Mahometicolas diros infeſtaq; Chriſto
Agmina Soteri fortes ſtrinxere machæras,
Aut labarum crucis, aut aquilæ vexilla ſecuti.
Tu teſtis locuples Iſter, qui cæſa Getarum
Corpora demergis, multum indignantibus undis.
Pulchrum eſt victricem per vulnera quærere palmam;
Pulcrius at multò ſtudiis excellere pacis
Tranquillæ: Beat hæc urbes cumulatq; benignis

Divitiis agros. Qui consulit arte togatâ
Communis patriæ rebus stabilitq; quietem,
Chaoniâ plures meruit de fronde coronas;
Multos nam cives curâ servavit alacri.
Tales Zedlicio prognatos semine Consos
Slesia non nescis, olim munita salubri
Præsidio Procerum, tibi quos Neukirchia, marer
Fertilis heroum, felici protulit ortu.
Jam parochos mitto sacros, mystasq; stolatos,
Relligio templis quos prisca dicavit & aris.
Nam sat erit Regum dixisse Ducumq; ministros.
Horum agmen ducit crescentis gloria stirpis
Summa, Petermannus (c) quem Bolco ter-inclytus heros
Et patriæ pater augustam pertraxit in aulam,
Ut res consilio solerte juvaret agendas.
O quantum debes huic, Slesia culta, Catoni!
Barbarie excussâ tunc undiq; Teutona pubes
In nostros confluxit agros, tunc mœnibus urbes
Cinctæ turritis, tunc Gargara fœta bonorum
Promittebat ager dumis prius obsitus hirtis.
Elysios passim potuisses cernere campos,
Omnigeno rerum proventu opibusq; beatos;
Ipsi jam rivi fœcundo lacte fluebant,
Ac duræ rupes stillabant roscida mella.
Ista Boleslaus nobis bona contulit almus,
Zedlicii monitis faciles dum præbuit aures.
Inde Sigismundus (d) gratissimus accola nostri
Amnis adest, digno semper memorandus honore.

Hic

Hic adolescentes ducens non segniter annos,
Ausoniæ lustravit opes, rediensq; per Alpes
Excelsas magni Constantis venit in urbem,
Ac Hussum vidit Synodo damnante cremari.
Hinc sese patriæ reddit placidæq; quieti,
Quam pius exegit pleni ultrà tempora secli.
Hoc est patre latus felice Georgius (e) astro,
Cui mite ingenium, cui prisco concolor ævo
Candor & integritas, avis isto tempore corvo
Rara magis niveo, pepererunt nobile nomen.
Ac tulit ille quidem sinceræ præmia vitæ:
Dives agri, dives pecorum, charusq; Dynastis
Secli ultrâ spatium vixit, florente senectâ.
Sed quod præcipuâ fortunæ in parte secundæ
Ponendum fuerit, fæcundi pignora lecti
Permulta è binâ suscepit conjuge, plastes
Fertilis heroum & prosper Laris instaurator.
Nolo gregem densum natarum, nolo nepotes
Ex illis ortos serie producere longâ.
Mascula progenies, proavitæ destina laudis,
Extollenda venit. Putri hæc inimica Vacunæ
Non potuit latitare domi: Sed ut edita celso
Colle pharos, lumen diversas fudit in oras.
Non tua rulicolis dominos, venerande GeorgI,
Sed Dominis rerum fortes magnosq; ministros
Eduxit generosa domus. Quot sidera valle
Hac emerserunt! Quot Castoras edidit almo
E gremio mater Neukirchia! Prodiit inde

Grande decus generis, patriiq; Georgius (f) hæres
Nominis, Augusto quo non dilectior alter
Fernando, nam promtam hominis spectabat abundè
Militiæq; domiq; fidem. Sed Principis aulam
Monsterbergiaci regali sangvine nati
Direxit Caspar (g) gemino perfunctus honore,
Hos aulæ proceres inter fortuna locavit:
At reliquos fratres externis alea Martis
Addixit bellis procul à regione paternâ.
Scilicet horrebant civili sangvine puras
Commaculare manûs. Hunc auster vidit & Ister
Turcas in sævos validum exertare lacertum:
Illum Corus atrox Codani trans æquoris undas
Abripuit cupidum Svecis pugnare Gothisq;:
Istum diversum traxit vagus Africus oras
In Venetas, Juliq; forum camposq; Liburnos,
Excellentem equites inter peditumq; cohortes,
Quas si non rexit, potuit rexisse videri.
Rexisti certè tu Wenceslae (h) Magister
Turmæ Cæsareæ. Testis tibi Stiria, testis
Illyricum latus, Hadriacas quod prospicit undas.
Tandem te castrense sagum deponere fata
Prospera jusserunt & splendida pacis obire
Munia, quæ Lygius tibi Dux injungit & ipse
Cæsar apex rerum, qui te cognoverat aptum
Militiæ pacisq; decus sociale tueri.
Magnus eras meritis, & magno nomine magnus,
Magnus quod natus (i) titulis majoribus auxit.

Nem-

Nempè hic ille fuit Lygiæ ſtator inclytus aulæ,
Qui tutatus opes Populiq; Ducumq; fideli
Præſidio, rerum gnarus Legumq; ſacrarum.
Ranzovium nolint Dani jactare ſuperbi,
Regis tutorem pueri: Nil cedere viſus
Illi Zedlicius, gemino pro Principe terræ
Qui Lygiæ rexit ſummâ cum laude guberna.
Aſt uti rex avium ſimilem virtute volucrem
Gignit, & ut falco, falconis prodit ab ovo:
Sic quoq; par patrio natus ſucceſſit honori (vit.
Chriſtophorus, (l) Themis & melior quem Pallas ama-
Novit Lignitium, novit cum Principe grata
Nobilitas ſtudiumq; viri curasq; ſagaces,
Sedulus in Patriæ quas contulit ille ſalutem.
Ceſſit ab orbe quidem, non ceſſit corde bonorum
E memori. Sed quid repeto nova notaq; cunctis
Civibus? Ad veteres redeo natosq; GeorgI.
Huic par Ingenio comi, doctiq; Sebaſtus (m)
OtI ſectator ſtudiis in mitibus ævum
Pieridumq; morâ tranſmiſit, cultus ob iſthoc
A doctis hominum, coluit quos ille viciſſim.
Succedit minimus natu, ſed maximus acri
Mente Sigismundus (n) qui fulſit in agmine fratrum,
Illuſtri, ſicut Zonâ præcinctus Orion
Inter ſtellantis radiantia ſidera Cœli.
Hic ego quid primum dicam? quo fine quieſcam?
Area tanta patet laudis, quà floruit ille
Nobilitatis apex: Raro qui fœdere junxit

Ire-

Irenen Marti placidam: Nam promtus eadem
Dextrâ Bellonæ pilum graphiumq; Themistos
Tractavit. Quid non robustæ in vere Juventæ
Audiit aut vidit castris adsvetus & aulis?
Novit eum toties Belgarum sangvine mixtus
Scaldis & Hispanæ lustrator Iberus arenæ,
Ac Gaditanus Nereus, qui perluit oras
Europæ extremas. Hinc illa peritia rerum
Hausta foris, depromta domi, perspecta Rudolpho
Divo, quem penes Imperii tunc summa potestas.
Providus ille Virum cumulo mactavit honorum,
Muneribus functum magnis, magnisq; celebrem.
In patriam meritis, cujus res sospite curâ
Communes rexit. Fluvios velut ornat amænos
Populus attollens cœlo sublime cacumen:
Sic fuit ille suis lumenq; decusq; Silesis
Et generi claro. Postquam mihi fata tulerunt
Hoc rerum columen, confestim vallibus hisce
Discessit fæcunda quies & copia Cornu
Quæ pleno fundebat opes. Sterilescere circum
Visus ager, lappis & sentibus obsitus hirtis.
Nec tanto potuere Patri succedere nati,
Sedibus excussi proavitis tristeq; passi
Ludibrium sortis. Sed quidam lætius alma
Fortunæ sensêre foris sibi crescere grana,
Quæ periêre domi. Genuisti, Carole, prolem, (o)
Cui sua Marchiacum commisit sceptra Lycéum.
Hoc meritis illustris avi tribuêre Camænæ,

Cujus

Cujus honor crevit redivivus honore nepotis.
Cerne vices rerum: Numerosâ è ſtirpe GeorgI
Ac Sigismundi ſuboles tantum unica (p) reſtat,
In quam tota domus cum Laude recumbit avitâ.
Suſtentabat opes noſtras Martisq; furentis
Relliquias, quantum poterat, Conradus (q) agendis
Pacis quam belli rebus magis aptus. At ille
Prole carens aliis hæc rura colenda reliquit.
Sors eadem quoq; te ſtravit Lehnhuſia mater
Ardua Zedlicidum: Nam priſcis orba Dynaſtis
Oſtentas Laris antiqui, caſtriq; ruinas,
Non famæ: Manet hæc, manet inconcuſſa tubâq;
Clariſonâ canit indigenas, quos fovit Oréas
Illa tua, aut Chloris cultrix generoſa benignæ
Vallis, quam ſulcat lymphâ labente Bohebrus,
Heroas mentes ſolitus nutrire Bohebrus.
Hic tibi Cunrados poterit recitare vetuſtos,
Hic tibi Zedlicidum poterit monſtrare tropæa,
Chriſtophori (r) imprimis, qui nobile militis inſtar
Præſtitit invicti, Getico mirante tyranno
Pugnantis vires & pectora neſcia frangi.
Quod tibi Roma fuit Cocles, quod Mutius audax,
Hoc Chriſti populo fuit obſeſſæq; Viennæ
Chriſtophorus laurus æternæ ſtemmate fulgens.
Sed nunc ad noſtras ambage revertor omiſsâ
Oras, quà cingit pulcro me Schöna receſſu.
Hunc etiam Titii quondam coluêre nepotes,
Quorum pars numeroſa mei proceſsit ad amnis

Fontes & Catti dictum de nomine pagum,
Quem Nimmersatl castellum nobile Jonæ (s)
Zedlicii prospectat opus de rupe reclini.
Calciferi montis surgentes culmine pinus
Qui numerare valet, densum numerabit & agmen
Zedlicidum, nostris quos enutrivimus undis.
Hinc & in Elysiæ varias amisimus oras.
Seu libeat montana tibi lustrare vireta,
Seu mage camporum percurrere plana, Sabothi
Quos speciosus apex dirimit Sudetibus altis,
Seu placeat Wolæ nemorosos visere tractûs,
Seu, Viader quos ambit agros regnator aquarum,
Invenies passim natali hac sede colonos
Missos, & tantæ vestigia plurima gentis.
Exigui renuit concludi finibus agri
Virtus multifidum lumen sparsura per orbem.
Imperitent villæ, quos nil nisi villa parentum
Nobilitat, pagiq; opicis dent jura colonis:
Zedlicii â patrum progressi longius arvis
Summorum gessere vices Regumq; Ducumq;,
Communem patriæ sveti curare salutem,
Cæsaris auspiciis magni rexêre Ducatûs
Magnos, Brandanus (t) Musisq; Rudolphus amatus
Guttalidumq; choro (u). Jam cætera sidera gentis
Quæ (x) Ladislaus splendente coronide cingit,
Prætereo lassus recitando nomina famæ
Tradita perpetuæ. Nam si perrexero totum
Zedlicidum in meritas rivum diffundere laudes,

Ex

Exhausto mihi deficiet vis labilis undæ.
Quod super est memorent vates, quos Phocis inundat
Enthea: Quod populis decantent, semper habebunt,
Invenient semper famæ sacranda recenti.
Nam neq; sic penitus stirps ab radice revulsa
Marcuit, ut nullo revirescat germine. Restant,
Restaut, qui genus antiquum laudesq; propagant
Majorum virtute novâ meritisq; benignis.
Horum ope, Dodonâ quod dico verior augur,
Vivet Zedlicium nomen per secula, vivet
Dum cœlum stellas, undas dum flumina volvent.

***

Recensio Nominum præcipuorum.

Qui Stemma Zedlicium ab radice & origine primâ evolutum cognoscere avet, illi excurrendum erit ad exteros. Cum Wenceslao Bohemo Hinco & Georgius Zedlicii ludis martialibus ab Imp. Henrico Aucupe Magdeburgi, A. 938 celebratis inter fuisse memorantur. In Polonia v. eminuit Henricus Zedlicius, qui Mieslao Seniori, Poloniæ Principi A. 1173. in administrando Regno insignem præstitit fidem: omnia enim aulæ consilia gubernasse scribitur. Poterant alii ad partes adduci: Sed Cattus noster personatus, gyro brevi contentus, notos tantum & in Silesia natos habuit recensere, ut ex sequenti liquet Elencho.

(a) *Prosator gentis Zedliciæ hisce in regionibus fuit Titius à Zedlitz, Nobilis Variscus, qui cum in Silesiam ad fidem Christi paulo ante conversam commigrasset, duxit uxorem Juttam vel Juditham, Witigii à Tschirn filiam unicam, ex quâ suscepit novem filios, quorum hæc memorantur nomina: Johannes, cognomento* Wogestein *Dn. in* Cunradiswaldaw / *Titius in* Schönaw / *Opitius in* Newalde / *Pancratius in* Schönaw / *Sigfridus*

in Kauffung/ *Bernhardus in* Röversdorff *&* Neukirch / *Cunradus in* Lehnhaus/ *Nicolaus, Parochus Schönaviensis, Petrus, Parochus Neukirchiensis.*

(b) *Tobias Scultetus JCtus, Com. Palat. &c. in Acclamatione gratul. ad Georgium Rudolphum à Zedlitz &c. Præsidem Ducat. Glogov. inter alia sic canit:*

Turmam Equitum illorum (Zedliciorum) sola propago dedit. Nil contrà fidem hic dictum esse, antiqua passim confirmant monumenta. In Cœnobio Grissensi, ut alia jam taceam, in sacello quodam præter complures ex eâdem gente viros nobiles, sedecin Equites conditos olim fuisse, testantur literæ Abbatis & totius Conventus Cœnobii ejusdem A. C. 1489. datæ, quarũ mihi est exemplar ex authenticis descriptum. Nomina verò illorum Equitũ, quæ in laud. jam literis consignantur, sunt: Hyncko, Pancratius, Witigius, Dietricus, Sigfrid, Bernhardus, Guntherus, Gunzelaus, tres Titii, totidem Henrici, duo Opitii. Cæterum prodiisse ex hac familiâ numerosissimam bellatorum turbam, hoc etiam argumento est, quod A. C. 1349. prælio contrà fictum Woldemarum Marchionem quatuordecim nobiles è gente Zedliciâ interfuisse scribuntur. Tob. Coberus, præfat. Ideæ Mil. Christ. Præ cæteris celebrandus erat Henricus Zedlicius, qui A. 1488. Ducat. Lignic. Capitaneus lectu, in profligandis Bohemis, qui Johanni Duci Sagan subsidio venerant, præcipuam patriæ tuendæ adhibuit operam. Nec tacendus erat Johan-Georgius à Zedlitz in Stroppen/ *Princ. & Statuum Silesiæ Evangelicorum ad D. Rudolphum Imperatorem, A. 1609. Legatus.*

(c) *Petermannus à Zedlitz Boleslai Principis Poloniæ & Silesiæ Consiliarius & Cancellarius, vixit circiter A. C. 1200. Hic brevem de familiæ suæ ortu consignationem scripsit, quæ cum aliis archivis in bibliothecis Ottonis & Ladislai Zedliciorum Eqq. aliorumq́; summorum virorum adservata & reperta fuit, ejus excerpta in multorrm manibus esse scio.*

(d) *Sigismundus Sigism. Fil. à Zedlitz hæreditarius in* Neukirch/ *cum tribus patruelibus Johanne, Coppone, Nicolao, Constantiam, cum ibi Concilium A. C. 1415. ageretur, invisit. Idem Monasterium Franscisc. Goldbergense, in cujus templo aram exstrui curavit, insignibus locupletavit donationibus, quas à Capitaneo Regio Swidn. & Jaur. Ducat. publicis literis,*

quarum

quarum exemplar descriptum habeo, confirmari curavit. Decessit grandævus admodum, cum jam 110 annum ætatis exegisset.

(e) *Georgius Sigism. F. à* Zedlitz *in* Neukirch *2c. geminâ ex uxore suscepit 27. utriusq; sexus liberos, quorum nomina & imagines in sacello quodam templi Neukirchiani junctim depictæ extant. Vidit idem, quod in præcipuâ felicitatis parte ponendum, ex filiis plerosq; partim sagatis, partim togatis officiis dignationibusq; eminere. Excessit annum ætatis 108. animo & corpore rectè vigens, ut in Epitaphio ejus est videre.*

(f) *Georgius Geor. F. à* Zedlitz/ *Eques Aur. D. Ferdinandi I. Imperat. Cubicularius & supremus minister interioris admissionis.* (Oberster Cammerthür-hütter) *nec non cohortis prætorianæ in bello Ungarico præfectus.*

(g) *Caspar Geor. F. à* Zedlitz *2c. Duc. Münsterb. & Olsnensis Aulæ magister & Mareschallus.*

(h) *Wenceslaus Geor. F. à* Zedlitz *&* Neukirch *2c. Turmæ equitum in Ungariâ & Illyrico præfectus, Sac. Cæs. Majest. nec non Duc. Lignic. & Breg. Consiliarius &c.*

(i) *Wenceslaus, Wenceslai F. Geor. N. à* Zedlitz *&* Neukirch *in* Eichholtz *2c. Prr. Lignic. & Breg. Contutor, Consiliarius supremus, & Ducat. Lignic. Capitaneus.*

(l) *Christophorus Wenc. F. Wen. N. Georg. Pr. à* Zedlitz *&* Neukirch/ *in* Binowitz *2c. Duc. Lign. Consiliarius & Ducat. Capitaneus.*

(m) *Sebastianus Geor. F. à* Zedlitz *&* Neukirch *in* Reichen-Waldaw *2c. insignis Litteratorum fautor, ipse apprimè litteratus. Vidi & legi adolescens magnam copiam Epistolar. latin. quas ejus ætatis viri eruditissimi, præsertim Theologi exteri, ad ipsum dederant.*

(n) *Sigismundus Geor. F. L. B. de Zedlitz in* Neukirch / Reichen-Waldaw *2c. D. Rudolphi II. Imper. Consiliarius intimus, & ad Principes Statusq; Silesiæ aliquoties Legatus & Orator; nec non Cæsareæ & Regiæ Cameræ per Silesiam utramq; Præses, vir meritis in patriam verè illustris, quem ob spectatissimam prudentiam & gravitatem Ualent. Arithmæus Ep. 62 Silesiæ miraculum appellavit.*

(o) *Carolus Sigism. F. Georg. N. L. B. de Zedlitz &* Neukirch/ *in* Großleßlaw *2c. Sac. Cæs. Majest. Consiliarius. Hujus filius Alexander Sigismun-*

dus L. B. de Zedlitz & Neukirch ꝛc. fuit A. C. 1612. Magnificus Rector Acad. Francofort. v. laudat. Epist. Aaithmæi.

(p) Carolus Christophorus Sigism. F. L. B. de Zedlitz & Neukirch in Cratzkaw ꝛc.

(q) Cunradus à Zedlitz & Wiesenthal in Neukirch ꝛc. fuit ultimus è suâ gente Dominus Neukirchl, qui locus jam ultrà (quinq; secula) Zedlicios agnoverat possessores. Cæterum è domo Wiesenthal/Lehnhaus proximisq; ad Boberam locis prodierunt non pauci viri præcipuis dignationibus functi, qui à Cunrado Titii filio suprà memorato descenderunt. Est mihi copia literarum à Præposito quodam Lignicensi A. C. 1463. datarum, in quibus recensentur Wisenthalii hæredes, Petrus, Georgius, Cunradus, cujus filius Johannes & nepos ejusdem nominis fuêre Judicii Regii adsessores, cujus dignitatis etiam fuit Fabianus à Zedlitz in Hartsdorff ꝛc.

(r) Christophorus à Zedlitz in Siebeneich ꝛc. Eques. Hic in obsidione Viennæ A.C. 1529. in Legione Hardeccianâ fuit Signifer, emissusq; à Duce cum manu militum non ita numerosâ ad exploranda hostium castra, cum paulò longius progressus ingenti agmine Turcarum cingeretur, primâ in acie consistens acerrimâ pugnâ ingruentes undiq; armatorum cuneos fortissimè sustinuit, obtruncatisq; non paucis & inter eos Hasane Bego Duce, vicendo delassatus potius quam victus, cum suos à tergo se recipere videret, in hostium tandem pervenit potestatem, & ad Solymannum deductus, intrepidè commilitonum suorum robur insuperabile jactitavit, & totius Imperii Turcici vires ad Viennam expugnandum neutiquam sufficere palàm adseruit. Tyrannus verò in hoste etiam miratus virtutem ipsum benignè habuit, tandemq; obsidione solutâ vestibus pretiosis donatum ad suos sine lytro dimisit. Sed cum captivus detineretur, occulta consilia & machinationes hostium, non sine summo capitis periculo, Ducibus suis per litteras à transfugis perlatas indicavit, & sic ad conservationem urbis multum opis & operæ contulit, Scævolæ Romano sine dubio comparandus. Videatur Idea Militis Christiani Tobiæ Coberi in memoriam hujus rei conscripta.

(s) Jonas à Zedlitz fuit conditor arcis Nimmersatt, ex quâ, uti & vicinis circa fontem & rivum Catti locis, plures per Silesiam gentis Zedliacæ deductæ quon-

quondam sunt coloniæ, quæ non paucos sagatis togatisq; artibus claros emiserunt viros.

(t) *Brandanus à* Zedlitz rc. *Sac. Cæs. Majest. Consiliarius, & Ducat. Svvidn. & Jaur. præfectus.*

(u) *Georgius Rudolphus à* Zedlitz *in* Brig rc. *Sac. Sæs. Majest. Consil. & Ducat. Glogov. Præfectus, vir egregiè litteratus, litteratisq; imprimis favens: testatur id prosphonematum libellus à Tob. Sculteto JCto, Com. Palat. & Consil. Cæs. ejus in honorem A.C. 1612. editus. Parens hujus fuit Johannes à* Zedlitz *Judicii Regii in Ducat. Glogov. Adsessor.*

(x) *Ladislaus à* Zedlitz rc. *Militiæ sacræ Cruciger: sive Johann. Eques ejusdemq; Ord. in Silesiâ Commendator.*

Cæteros potioris existimationis viros Zedlicianâ stirpe ortos, qui vel defuncti, vel in vivis adhuc præcipuis muneribus, in Suidnic. præsertim & Jaurano Ducatu, præfecti proavitam laudem feliciter propagant, sciens prætereo: Amplissimam enim gloriam illorum tenuioris ingenii culpâ deterere nolim. Coronidis loco adjiciam hoc ex prosphonemate Johan. Spechtii I. V. D. & Ducat. Glogov. Cancellarii ad Georg. Rudolph. à Zedlitz elogium: Agnoscimus singulari Dei gratiâ Zedliciorum antiquam stirpem & heroicam virtutem in Silesiâ certatim, præ aliis multis, diu muneribus & dignitatibus Equitum, Legatorum Consiliariorum, Præfectorum & Præsidum effloruisse, & ob res præclarè gestas, Principibus, Regibus, ipsisq; Imperatoribus gratos fuisse, adeo ut gloriosissimorum actuum possessio, veluti hæreditariâ quadam successione, etiam cum admiratione exterorum, continuata sit hactenus invictissimorum Cæsarum gratiâ.

In Insignia Zedliciana.

PRisca vetustatis stirps est Zedlicia imago,
Illustres æquans Marte togaq; domos.
Est nivea in clypeo castrensis fibula balthei:
Sunt alæ in galeâ versicolore duæ.
Scilicet invicto quos Marte meretur honores,
Pegasus alato fert super astra pede.

Tob. Cob. D.